



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 35. Innocentii excusatio de repulsa Legatis Benedicti data.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

quem ipse omnino rejecisset, cum sibi per-  
suasum haberet, ejusmodi colloquium  
nil nisi solitum æmuli sui artificium esse,  
quo omnibus illudere, ac inanes ad  
frustrandum pacis negotium moras ne-  
ctere studeret.

Sæcul. XV.  
A.C. 1405.

§. XXXV.

*Innocentii excusatio de repulsa Legatis  
Benedicti data.*

Insuper in eadem epistola exponit, Car-  
dinales, antequam Conclave, ubi ele-  
ctus esset, intrassent, ex Legatis ad Bo-  
nifacium paucis ante ejus obitum diebus  
a Benedicto missis, sciscitatos fuisse, u-  
trum mandato ad cedendum Papatu a  
Domino suo instructi essent? eisque a to-  
to sacro Collegio fidem fuisse datam, se  
in hoc casu ad novam electionem nulla-  
tenus processuros; Legatis autem man-  
dati defectum allegantibus demum Car-  
dinales enixe petiisse, ut oratores ex suo  
coetu aliquem ad Benedictum ablegarent,  
cui cedendi auctoritas, per syngrapham  
committeretur; cum vero Legati re-  
spondissent, Benedictum ab ejusmodi ab-  
dicatione omnino abhorreere, utpote æ-  
quitati oppido contraria, Cardinales ele-  
ctionem haud ultra differendam esse cen-  
suisse. Tandem Innocentius Cardinales  
suos,

Sæcul. XV. suos, cum Benedicti Legatos detinuisse  
A.C. 1405. insimularentur, defendendos suscepit, to-  
 tamque culpam in ipsosmet coniecit Le-  
 gatos & Castelli Præfectum, apud quem,  
 licet incassum, pro eorum liberatione (va-  
 cante sacra sede) ipsi Cardinales egissent.

## §. XXXVI.

*Benedictus Papa iter in Italiam  
meditatur.*

*Antonin.*  
*part. 3. tit.*  
*22. c. 4.*

Omnes istæ Benedicti Papæ fraudes  
 hoc pacto detectæ, grave rebus suis  
 intulerunt dispendium; Qui tamen de-  
 speratæ causæ opportunum quærens re-  
 medium, ubique jactitabat, sibi nil anti-  
 quius esse pace Ecclesiæ reddenda, atque  
 eo fine se ipsum in Italiam profecturum,  
 ut Innocentium, quem tanquam Sedis  
 Apostolicæ invasorem criminabatur, ad  
 amplectendam quoque unionis viam per-  
 moveret.

## §. XXXVII.

*Obtinet decimas de bonis Cleri  
Gallicani.*

*Monach.*  
*S. Dionys.*  
*l. 25. c. 1. § 2.*

Speciosa hæc promissio delusit plurimos,  
 & Benedictus ad hujus itineris ex-  
 pensas de cunctis Cleri Gallicani bonis  
 decimas, seu decimum exigendi num-  
 mum facultatem obtinet, quam etiam su-  
 per